



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Tractatus II. De Statu Religioso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

## TRACTATUS II.

De Statu Religioso.

## TITVLVS PRIMVS.

*De Natura et perfectione Status Religiosi.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De perfectione ad quam Religiosus Status ex natura sua tendit.*

I.

**R**eligio est Status quorundam Christianorum, ad Evangelicam perfectionem tendentium, per tria vota, Paupertatis, Obedientiae & Castitatis, perfecta sui traditione, & legitima acceptatione firmata, & sub modo vivendi, ab Ecclesia approbato. Dicitur (*status*) ob immobilitatem propositi voto perpetuo firmati. Dicitur (*ad perfectionem Evangelicam tendentium*) propter Evangelica consilia, quæ etsi à Christo sint omnibus proposita, non tamen ab omnibus & singulis observanda: dicente Chri-

L 2

sto



sto de castitate: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed qui potest capere capiat*: Unde non tanquam præcepta: sed tanquam consilia & media perfectionis sunt proposita, opportuna tendentibus ad perfectionem. Aliud etiam dicit Evangelica vita, & aliud Evangelica perfectio: Evangelica enim vita dicitur: quæ amplectitur præcepta in Evangelio contenta, & præscriptiones universales, omnibus Christum sequentibus in Evangelio communiter datas. Evangelica autem perfectio dicitur, quæ se extendit etiam ad ea quæ sunt consilij tantum. Dicitur (*per tria vota*) his enim tribus votis distinguuntur Religiosi à cæteris Christianis: etsi enim cæteris Christianis ista sub consilio proponantur ad perfectionis exercitium: Religiosi illa sibi vendicant sub voto, seq; illis ita astringunt, ut ab eorum observantia, absque peccato Apostasia recedere nequeant. Dicitur (*perfecti sui traditione & legitima acceptatione firmata*) ad distinguendum statum Religionis, & vota, à particulari singularium personarum devotione, hæ enim personæ ne



se perfecte tradunt, nec vota acceptatione legitima confirmantur.

2. Perfectio hominis viatoris in ordine ad finem ultimum consistit in charitate, ita ut juxta progressum in gradibus charitatis, homo censeatur magis aut minus perfectus: unde & charitas in scripturis ponitur velut principium, medium, finis, ac velut scopus totius vitæ hominis ad ultimum finem tendentis: ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in Charitate.* Et cap. 3. *in charitate radicati & fundati, &c.* Est itaque charitas, fundamentum, incrementum, ædificatio, & complementum totius hominis Christiani. Ut patet ad Coloss. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete quæ est vinculum perfectionis.*

3. Juxta diversos respectus diversi modi reperiuntur in perfectione intra habitudinem Charitatis; juxta quos quinque perfectionis genera referuntur, cum quinque diversis obligationibus, à S. Bonav. in 3. Dist. 30. q. 3. Prima (inquit) est: perfectio

L 3

suffi-



sufficientiæ, quæ consistit in adimplentione præceptorum, de hac Matth. 5. v. 48. *Estote perfecti sicut & pater vester caelestis perfectus est*: 2. Est perfectio Religionis: quæ consistit in observantia Consiliorum, de hac Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes*. 3. Est perfectio prælationis quæ consistit in Regimine subditorum. 4. Est perfectio operationis: quæ consistit in ostensione exemplorum. 5. Est perfectio tranquillitatis, quæ consistit in consumatione difficillimorum & optimorum.

4. Perfectio ad quam Religiosus status ex natura sua tendit est sincerus Dei Amor super omnia, quatenus via mandatorum Dei, & consiliorum Evangelicorum, voto & observatione acquiritur, ita S. Thomas opus: 18 & sequentibus & Doctores sancti communiter.

## Articulus Secundus.

*An perfectio ad quam Religiosi tendunt, sit major, ea ad quam ceteri Christiani tendere debent.*

I. **P**Otest quidem interdum aliquis Christianus in sæculo remanens, ad perfe-



ctiorem amoris gradum pertingere, quam Religiosus votis adstrictus, hæc enim perfectio à Deo dirigente varijs donis, promovente ineffabili sua providentia provenit, qui cui vult, & quomodo vult, dona sua distribuit, non habita ratione status, vel personæ, nec est qui dicere audeat cur sic facis.

2. Perfectio vero charitatis, ad quam Religiosi ex vi status & professionis suæ tendere tenentur, excedit multis gradibus perfectionem omnibus Christianis communem. Nimirum: Efficacia mediorum, excellentia operationum, puritate & unitate finis. Efficacia mediorum in tribus votis consistit, Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis: cum enim qui in sæculari vita degunt, tribus maxime aciebus impetantur, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, ac superbia vitæ, sub triplici hoste: Carne, mundo, & Diabolo, qui Rex est super omnes filios superbiæ, quibus homo vix & ne vix quidem, nisi singularissima gratia resistere potest: Religiosus tribus votis se obligans, ab eis velut immunis



evadit: à concupiscentia quidem oculorum & mundo, paupertate: quæ omnia relinquit, à concupiscentia carnis & carne: castitate: à superbia vitæ & Diabolo: propriæ voluntatis abrenuntiatione, sub obedientiæ jugo.

3. Excellentia operationum: in perfectissima sui consecratione in obsequium Dei, attenditur. Religiosus enim se totum in Holocaustum offert, & quidem holocaustum medullatum, quippe qui mundum, carnem & seipsum, in altari crucis consumit, ita S. Gregor. *Hom. 20. in Ezechielem circa finem*, (ubi sic ait) *Cum quis aliquid Deo vovet & aliquid non vovet, sacrificium est: cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, Holocaustum est.*

4. Puritas & unitas finis in hoc consistit: quod soli Deo adhæreant, & velut in illum ut scopum omnes colliment; quod paucis verbis Christus confirmat: *Si quis (inquit) vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Ad hoc enim collimat sui abnegatio per



per perfectam renuntiationem: Bajulatio crucis per utriusq; hominis mortificationem, sequela Christi per purissimum amorem, ut cum Paulo Religiosus dicere possit: ad Galat. 2. v. 20. *Christo confixus sum cruci, vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.*

## Articulus Tertius.

### *De Voto in genere.*

1. **V**otum est promissio valida facta Deo, dicitq; voluntatem firmam se obligandi; ut autem votum sit validum, & in conscientia obliget, requiruntur quinque conditiones. 1. Ut sit deliberatum: id est ut fiat cum plena animadversione rei quæ agitur, quia votum est lex & servitus voluntaria. 2. Ut sit liberum: id est, non metu vel dolo injusto extortum, & aliunde error vel ignorantia voluntarium non tollat, quia votum metu injurioso extortum est invalidum: metus vero rationaliter incussus, vel ex naturalibus causis ortus, votum non invalidat. Ut cum quis vovet in morbo gravi, naufragio, mortis,



periculo, vota ista valida sunt. 3. Ut fiat cum intentione se obligandi. 4. Ut votum sit de re possibili & Deo grata: nam quando opus malum, vel est materia voti, vel pertinet vel conjungitur executioni operis, sive rei illius quam quis vovet, votum irritum est & nullum: peccatq; mortaliter qui sic vovet. 5. Ut vovens se possit obligare: nam qui alteri perfecte in omnibus, vel saltem quo ad materiam voti subjectus est, vovere non potest. Hinc vota particularia Religiosorum, à superiore irritari possunt, excepto voto ingrediendi Religionem arctiorem, quod ratione perfectionis. Semper est in potestate Religiosi. Sic etiam Maritus potest omnia vota uxoris irritare, quæ ipsi, prolibus, vel rei familiari incommoda videntur. Uxor etiam illa viri vota irritare potest, quæ debito & juri Matrimoniali, grave incommodum præstant.

2. Vota vero omnia tam solemnia quam simplicia, in Conscientia obligant duplici titulo: Nimirum fidelitatis & Religionis. Quia vota essentialiter sunt promissiones,  
omnis



omnis autem promissio acceptata, jure fidelitatis promittentem obligat, ergo & vota titulo fidelitatis obligant. Ratio posterioris tituli est, quia omne opus bonum Deo uncupatum, ad ejus cultum & reverentiam, Religionis virtutem induit, sed vota sunt obligationes quædam factæ Deo, ad ejus cultum, ergo titulo Religionis obligant. Qualitas vero obligationis voti interpretanda primum venit, ex intentione voventis, deinde ex materia voti, qui autem remanet dubius de ijs quæ ex parte voventis essentialiter requiruntur ad votum, non obligatur voto, sed ab obligatione ejus, etiam manente dubio, liber est.

3. Obligatio voti cessat quinque fere modis: nimirum: cessatione materiæ, cessatione conditionis aut circumstantiæ, irritatione, commutatione, dispensatione. Cessat vero votum ratione cessationis materiæ, quando materia quæ prius erat legitima, fit postea illegitima, aut definit esse in se, vel si fiat impossibilis, vel majoris boni impeditiva. Secundo cessat votum cessante conditione, quando aliqua in voto conditio



aut circumstantia cessat, aut ita immutatur, ut intentionem voventis omnino alterare censeatur. 3. Cessat votum ratione irrationis quādo invalide factum est. 4. Cessat per commutationem, quando ab habente auctoritatem commutatur, omnis autem qui potest in voto dispensare, potest & illud commutare, sive potestas sit ordinaria, sive delegata: qui autem habet potestatem commutandi, debet illa immutare in æquale vel fere æquale, aut saltem quod adeo notabiliter minus non sit, non tamen requiritur quod causa commutationis tanta sit quanta dispensationis. 5. Cessat votum per dispensationem, quæ est condonatio obligationis totalis voti, facta ab habente potestatem, idq; ratione justa ac rationabili postulante. Potestatem vero habet in ordine ad totam Ecclesiam summus Pontifex respectu omnium votorum. Episcopi respectu suorum subditorum, in omnibus votis summo Pontifici non reservatis. Item prælati majores Religionum respectu suorum Religiosorum. Item: Confessarij mendicantium & qui cum illis parti-



participant, habent potestatem delegatam dispensandi, in omnibus votis in quibus dispensare possunt Episcopi. Justæ vero causæ dispensationis sunt sequentes. 1. Utilitas Ecclesiæ. 2. Honor Dei. 3. Utilitas gravis voventis. 4. Fragilitas ejus admodum periculosa. 5. Levitas ac animi perturbatio in vovendo.

*Peccata quæ in votis committuntur.*

1. Quicumq; sicte Deo vovet non habens voluntatem votum adimplendi, peccat mortaliter.

2. Quicumque ob malum finem votum Deo emittit, peccat mortaliter.

3. Omne votum de materia mala sive de peccato etiam veniali, est mortale peccatum.

4. Votum de re impossibili, sub ratione impossibilitatis apprehensa est peccatum mortale, quia rem impossibilem Deo promittere est Deum irridere.

5. Omnis transgressio voti ad mortale peccatum obligantis, sive fiat per commissi-  
onem sive per omissionem, est peccatum mortale.



## Articulus Quartus.

### *De voto Paupertatis.*

1. **P**aupertas Religiosa proprie non dicitur indigentiam sive rerum inopiam, probatur Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et ut ostenderet indigentiam non esse de essentia paupertatis, subdit: *Neq̄ enim quisquam egens erat inter illos.*

2. Paupertas Religiosa est voluntaria abdicatio omnis possessionis, Dominij, & cujuscunque juris Civilis & Politici, sive actualis sive possibilis, ac etiam usus proprii, ad rem quamcunque temporalem, propter Deum & Christi, sequelam. Dicitur (*abdicatio voluntaria*) quæ enim absque vero consensu voluntatis fit, vere Religiosa non est, sed pure mundana & necessitatis. Dicitur (*omnis possessionis, Dominij, & cujuscunque juris Civilis, etiam usus proprii*) hæc enim omnia in paupertate Religiosa requiruntur: omnis enim proprietas à sta-

tu Re-



tu Religioso exulare debet, juxta illud Innocentij 3. in cap. *cum ad Monast. de statu Monast. Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regule monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Dicitur ( *juris Civilis & Politici* ) non enim religiosus abdicare potest usum juris naturalis sive Divini, quo quilibet vivens debet uti, re qualibet necessaria ad conservationem sui esse. Dicitur ( *actualis vel possibilis* ) ut Religiosus non tantum abdicet à se Dominiũ vel jus in bona, quæ actu possidet, sed etiam omnem spem juris Civilis, in omnia quæ cum tempore quovis modo acquirere posset.

3. Paupertas vero Religiosa duplex est: alia in particulari dumtaxat obligans, quæ ita abdicat omne jus civile & politicum, ab omnibus singularibus personis per professionem Religiosam, ut tamen admittat Dominia, possessiones, & proprietatem bonorum temporalium in communi. Alia est paupertas Religiosa in particulari & communi: quæ omne jus civile ad bona  
tem-



temporalia ita abdicat, ut nec conventuum in communi, nec particularibus personis, etiam superioribus competere possit. Et hæc est altissima paupertas, quam vovent omnes qui sub regula S. Francisci militant. *Exceptis PP. Conventualibus.*

4. Quatuor denique terminis concluditur paupertas Religiosa in particulari  
 1. Uti rebus tanquam non suis. 2. Uti de voluntate rationabili superiorum. 3. Uti juxta modos in Regula vel constitutionibus cujuscunq; Religionis expressas. 4. Uti intra limites honestatis & modestiæ.

## Articulus Quintus.

*De peccatis contra votum Paupertatis.*

1. **P**Eccant mortaliter: juxta rationem gravitatis materiæ, qui ante Professionem, sibi pecunias, census, redditus, præstationes, & similia quovis nomine nuncupentur reservant, & quamdiu in illis perseverant, sunt in statu damnationis, illa enim reservatio est directe contra votum paupertatis, & qui sic reservant convincuntur in actione sacra & Religiosa votorum, mentiri Deo & Spiritui S.

2. No-



2. Novitius qui sibi aliquid retinuit, ut possessive de re illa disponere, uti, gaudere, absque dependentia superiorum intendat, professionem emittens, peccat mortaliter.

3. Peccant mortaliter, qui hæredes vel hæreditatem onerant, aliquo simili peculio, suæ personæ tanquam domino, sive usu fructuario, sive alio jure, ad propriam & independentem dispositionem, vel usu, relicto.

4. Qui legata simili reservatione sibi facta, ita in se assumunt, ut non aliter dari, vel solvi sustineant, imo impediunt ne solvantur, nisi juxta eorum voluntatem, quamdiu in tali voluntate & statu perseverant, in peccato mortali existunt.

5. Peccant mortaliter fratres, qui permittunt sibi legata quædam annua à parentibus relinqui, suo arbitrio & rogatu disponenda, pro suis vel conventuum necessitatibus.

6. Quidquid sapit Dominium, proprietatem, usum fructum, dispositionem, sive administrationem liberam, in quacunque remobili sive immobili, sive per modum redi-

redi-



reditus, proventus, pensionis, indepetentis dispositionis, alicui regulari singulariter adveniat, absque proprietatis vitio illi convenire non potest, est autem proprietas, in re moraliter reputata notabili & gravi, peccatum mortale.

## Articulus Sextus.

### *De voto Obedientie.*

I. **O**bedientia religiosa est actus virtutis Religionis, quo ad ultus suo juri & voluntati, sponte & voluntarie, quantum potest propter Deum, perpetuo renuntiat, se ipsum in aliqua religione approbata, legitimis superioribus tradens, ad ei imperandum, de eo disponendum, sive eo utendum, intra terminos liciti, & regulæ religionis, quam profitetur; Dicitur (*actus virtutis Religionis*) non enim inter virtutes morales absque injuria recenseri potest, quæ pro objecto habet Dei solemnem cultum, actus enim ejus proprii sunt, obedire homini propter Deum, sive Dei locum tenenti. Unde B. Laurentius Justinianus: *L. de ligno vite tract. de Obedientia,*



*dientia, definit obedientiam Religiosam, quod sit spontaneum & rationale propriae voluntatis Sacrificium. Dicitur (quod adultus) ut nimirum; & ad adultam aetatem pervenerit, & suae voluntatis ac libertatis compos sit. Dicitur (Sponte) ut nimirum votum obedientiae non ex necessitate aut coactione procedat. Dicitur (perpetuo) quia obedientia Religiosa perpetua est, sicut & status perpetuus, qui sola morte completur, ejus exemplo, qui factus est pro nobis patri obediens usque ad mortem.*

*Dicitur (suo juri & voluntati renuntiat) in hoc enim vis obedientiae consistit, ut nec contra certam voluntatem superioris, propriam allegare quis possit in exteriori dispositione, nec jure aliquo post professionem, religionis juri contraniti. Dicitur (quantum potest) non enim potest omni juri & voluntati homo renuntiare, jus enim divinum naturale semper in Religioso illibatum manere debet.*

*Dicitur (in aliqua religione approbata) obedientia enim extra Religionem approbatam, ob eventus malos & periculosos prohibi-*

prohi-



prohibita, non spectat ad statum Religiosum. Dicitur (*legitimis superioribus tradens*) soli enim illi tradi potest voluntatis & juris proprii dispositio qui hominem acceptare potest & religioni incorporare.

Dicitur (*ad ei imperandum, & de eo disponendum, sive eo utendum*) hæc enim tria sunt, quæ potest superior Religionis in Religiosum subditum exercere, mandare per obedientiam: disponere de persona in officiis Religionis, eo uti in oneribus & exercitijs, & subditus tenetur obedire.

Dicitur (*intra terminos liciti & Regula Religionis quam profitetur*) professio enim contractus est quidam sanctus & immaculatus, qui nec potest ad illicita trahi, nec illicita pati: est & ordinatus, ut proficiens nec ultra suæ Regulæ onera gravetur, nec inordinate vexetur.

2. Obedientia Religiosa non extenditur ad ea, quæ supra regulam simpliciter sunt, nec ad ea quæ ad regulæ vel status observantiam non pertinent, in ijsque Religiosus prælato præcipienti, obedire non tenetur. Patet ex illo S. Bernardi *Lib. de*

*præ*



præcept. & dispens. c. 8. Nihil inquit me prohibeat prælatus horum quæ promisi, nec plus exigat quam promisi, vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.

3. Quæ vero Christiano homini ad obsequantiam mandatorum Dei, vitiationem periculorum peccati, passionum mortificationem, vel remedium, penitentiam, & satisfactionem imponi ex causa possunt, illa etiam legitime à superioribus, subditis suis Religiosis, præcipi per Obedientiam possunt, etsi videantur à regula aliena esse, sicut etiam quæ ad justitiam & peccatorum vindictam pertinent, etsi regulæ observantiam excedant. Quia sicut in omni Republica, justitia requiritur, ad corrigenda mala, imo ad cogendum ad bona. Ita in congregationibus Religiosis, ad conservationem status necessaria sunt, & consequenter si non regulæ, censentur tamen statui & congregationi annexa, & potestati superiorum commissa.

4. Meritorium etiam est subdito Religioso, obedire superiori in omnibus, absq; ulla



ulla reflectione, iudicio vel discussione, quando nulla apparet ratio vel suspicio illiciti, in obedientiæ actu. Quia ubi nulla ratio illiciti apparet, sanctum & laudabile est Religiosis, voluntatē suam, voluntati superioris, cui eā cōsignavit, cōformare: in hoc enim abnegatio propriæ volūtatis cōsistit.

5. Omnis vero superior regularis, sive vir, sive fœmina, juxta materiam suæ potestati substratam, præcipere potest mandato obedientiæ, obligante ad peccatum mortale, quia hæc obedientia est materia voti, & voto Religioso alligata, ac consequenter ejus transgressio, in materia gravi est peccatum mortale, unde superior vir, vel fœmina regularis, dans mandatum obedientiæ, in ordine ad servandam regulam, si velit potest ad peccatum mortale obligare, & si indicet se obligare, subditus vel subdita tenetur obedire.

### Articulus Septimus.

*De peccatis contra votum Obedientiæ.*

1. **N**on facere sive non adimplere voluntarie, quod à superiore per præceptum



ceptum rigerose de mandatum vel prohibi-  
bitum est, in materia gravi, ad regularem  
observantiam aliquo modo pertinente,  
peccatum est mortale.

2. Refragari, resistere, obmurmurare,  
contra obediētiam superiorum contuma-  
citer, peccatum mortale est, eo gravi<sup>9</sup> quo  
rebellio est gravior & magis scandalosa.

3. Contemptus superioris, in omni  
præcepto & mandato, ex genere suo pec-  
catum mortale est, etiam in materia levi.  
Quia in superioris persona contemnitur  
Deus, cujus superior personam gerit.

4. Gravissimo peccato inobediētiae  
peccat, qui contra superiorem, ob manda-  
tum obediētiae, sive correptionem insur-  
git, & verbis, minis, improperijs, obedire  
renuit. Et hæc quidē sunt peccata explicitæ  
inobediētiae, multæ autem sunt inobedi-  
tiae implicitæ, in quib<sup>9</sup> etsi formaliter & ex-  
terius obediētiae formali non resistatur,  
subditi tamen dolis, tergiversationibus, &  
contradictionibus tantū agunt, ut vel non  
audeant superiores illis aliquid injungere,  
vel si injunxerint, teneantur revocare, &  
tales quoq; peccant graviter,           Arti-



## Articulus Octavus.

## De voto Castitatis.

I. **C**astitas Religiosa est: renuntiatio  
 Omnis delectationis voluntariæ li-  
 bidinosæ, etiam licitæ, propter Deum, so-  
 lemni voto in perpetuum in Religione ap-  
 probata confirmata. Dicitur (*Renuntia-  
 tio*) etsi enim castitas, interdum actus po-  
 sitivos concomitantes habeat, ipsa tamen  
 castitas, formaliter consistit, in quadam ne-  
 gatione & renuntiatione cujuscunq; libi-  
 dinis. Dicitur (*libidinosæ*) ut excludantur  
 delectationes partis sensitivæ, quæ ad ve-  
 neream delectationem non tendunt, sed  
 mere naturales sunt, & appetitum sensiti-  
 vum non excedunt. Dicitur (*etiam licite*)  
 ut excludatur omnis delectatio venerea,  
 quæ inter conjuges, procos, & desponsa-  
 tos post sponsalia censetur licita.

Castitas Religiosa his prærogativis præ-  
 cellit omnem castitatem, quæ Deo in Reli-  
 gione approbata, consecrata non est.

I. Excellentia virtutis Religionis: per  
 votum enim castitatis Religiosæ, homo  
 corpus



corpus & carnem suam Deo in holocausti  
hostiam immolat: corpus suum templum  
Deo immutabili consecratione dedicat: &  
paulo teste ad Galat. 5. Carnem suam cum  
vitijs & concupiscentijs crucifigit.

2. Immutabilitate: quia nullo superve-  
niente meliori bono mutatur, & dissolubi-  
litem nescit; dispensationem, manente  
statu Religioso, non admittit.

3. Puritate: castitas enim conjugalis ad-  
mittit delectationes ordinatas conjugij,  
castitas virginalis & vidualis voto solemnij  
non firmata, potest ad nuptias congruis  
medijs aspirare, castitas vero religiosa om-  
nem nævum excludit, & angelicam puri-  
tatem requirit: nullam in cogitatione, ver-  
bo, opere, vel modicam oblectationem  
veneream, etiam sub quovis licito titulo,  
in Religioso admittit. Et hanc puritatem  
ex sui natura vovet omnis approbata Reli-  
gio, dum non tantum objecta removet, sed  
etiam incentiva quæcunque arcet, tempe-  
rantiam præcipiens, abstinentiam & jeju-  
nia colens, mortificationem sensibus im-  
perans, à mundanis conversationibus ab-  
strahens.

M

2. Per



2. Per se & in ratione simplicis obligationis præcepti castitatis, non obligatur Religiosus ad plura ex vi sui voti, quam ad ea, ad quæ præceptum castitatis obligatio omnes Christianos, etsi altioris Ordinis obligatio ex vi voti voventem consequatur. Omnis enim Christianus juxta declarationem Christi Matth. 5. non tantum tenetur vitare actus fornicationis, adulterij, &c. Sed etiam omnem in cogitatione, verbo, opere, veneream & voluntariam delectationem, imo & omne periculum quod ex sensibus externis, imaginatione &c. imminet: ad plura autem non tenetur Religiosus ex vi voti nisi ut sit, Apostolo I. ad Corinth. 7. attestante: sanctus corpore & spiritu. Id est ab immunditijs corporalibus & spiritualibus liber.

3. Gravior tamen peccato offendit Religiosus, quovis actu, cogitatione, vel verbo libidinoso, contra votum castitatis peccans, quam quilibet cælebs vel conjugatus, contra præcepta castitatis. Quia quod in cælibe est simplex fornicatio, vel etiam in conjugato adulterium, quodque in alijs  
spe-



speciebus peccatorum carnis, est vel sodomia, stuprum, vel incestus, in Religioso est Sacrilegium: tum ob votum quod Deo per virtutem Religionis nuncupatur, tum quod Corpus & animus Deo per votum castitatis immolatus, profanetur.

4. Extrinsecus etiam ratione scandali, multa in materia castitatis Religiosis sunt interdicta, quæ in alijs vitia non reputantur, si quæ inter sæculares conversatio, cum feminis censetur honesta & urbana, inter Religiosos interdum censetur scandalosa, & verbum scurrile, quod inter sæculares in jocum interpretari solet, in Religioso reputatur impudicum, unde est illud S. Bern. lib. 2. de consid. ad Eugen Pontif. c. 13. *Communi axioma ubiq; usurpatum: Nugæ quæ in ore secularium sunt nugæ, in ore Sacerdotum sunt Blasphemia.*

5. Ex his quilibet colligere poterit, quanta puritate debeat Religiosus conversari, etsi enim mente & corpore sit castissimus; potest tamen signis, verbis, moribus, gestibus immorigeris, vel in alijs libidinem excitare, vel videntes scandalizare.



Nec se putet excusari puritate castitatis, quam mente & corpore possidet, cum enim status Religiosus sit puritatis & castitatis exemplar, etiam in verborum & totius externi hominis compositione, seita castum exhibere tenetur.

## TITVLVS SECVNDVS,

### *De Novitiatu et Noviti- orum Professione.*

#### Articulus Primus,

##### *De Novitiatu.*

I. **N**OVITIATUS est probatio Religionis, alicui ad certum tempus, ab habente potestatem, sub certis legibus concessa, in ordine ad professionem Religiosam, juxta liberam postulationem Novitij probantis, & consensum ac acceptationem eorum, quorum est, ad professionem admittere. Novitiatus enim ordinatus est, tum ut quis Religionis onera probet, tum ut à Religione probetur ad certum tempus, nam non potest esse probatio perpetua,



tua, neque excedere tempus ab Ecclesia constitutum.

2. Leges vero Novitiatus quinque sunt, 1. Ut ætate debita inchoetur. 2. Ut persona aliquam inhabilitatē substantialem non habeat. 3. Ut certo loco fiat. 4. Ut in habitu Religioso perficiatur. 5. Ut per annum continuum duret.

3. Ætas pubertatis requiritur, in persona novitatum, in vera Religione inchoante, quæ quidem ætas in masculo requirit quatuordecim annos completos, in femina duodecim. Patet ex Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 17. *Ut puella quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, nec ante eum suscipiat. Quia qui annos pubertatis non est ingressus, congrue non potest experiri austeritates Religionis, imo nec essentialium votorum observantiam, specialiter castitatis, cujus tentationes adversas nondum pati potest.* Præterquam quod deliberatio perfecta status in minori ætate vix haberi possit: unde & vota impuberum per parentes valide irritantur. Hinc securius est, non admittere ul-



lum ad probationis annum, nisi sit annus ille, qui in completam ad professionem aetatem, nimirum decimum sextum annum completum, terminatur.

4. Omnis habilitas quæ requiritur in persona, ut legitime profiteatur, illa proportionaliter requiritur, ut annum probationis subeat, etsi non eadem certitudine vel obligatione. Quia qui legitime annum probationis init, illum sic subire & inire censetur, ut præsupponatur habere qualitates & habilitates requisitas, cum quibus possit profiteri, si ita libuerit, qui enim certas inhabilitates haberet ad professionem, frustra probare intenderet, aut probari permetteretur.

5. Sanctum etiam & laudabile est, conventus aliquos designatos ad institutionem Novitiorum, & Novitiatum à communi conversatione professorum separatim habere, regularis est forma. Quia ita melius probantur, docentur, ac mortificantur. Nec quod illos offendat videre possunt. Quare omnis Novitiatus debet de



de necessitate transigi in aliquo conventu, nisi dispensatio singularis Sedis interveniat, quia probatio novitij non tantum est passiva, sed etiam activa, id est, qua se ipsum probet, & qua à Religione probetur, hoc vero extra conventum fieri nequit, hinc non admittenda opinio eorum, qui ex proprio genio affirmant, aliquo saltem tempore novitiatum posse extra Monasteria servari.

6. Novitius debet necessario probari in habitu pro novitijs de terminato, & in qualibet religione consueto, hoc probant omnia decreta Conciliorum ac Pontificum, quæ dum de novitiatu loquuntur, illum semper computant à die suscepti habitus, supponendo in ingressu ad novitiatum, singularem habitum, Religioso similem, & ab habitu professorum aliquo signo distinctum, semper novitijs concedi.

6. Annus Novitiatus debet esse integer & completus, hoc constat ex Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 15. *In quacumq; Religione tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum*



annum completum, nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, professio autem ante facta sit nulla. Ad annum vero completum frequentia requiruntur.

1. Computus integer à die legitime suscepti habitus, usque ad diem anniversariam, quæ quo ad numerum dierum annum compleat, quod autem ex Privilegio Pij quinti, Novitijs Monialium si habeant ætatem legitimam, liceat in articulo mortis, non completo anno Novitiatus professionem emittere, intelligendum est tantum pro solatio animæ id fuisse concessum, ad finem lucrandi indulgentias, & fruendi privilegijs spiritualibus, quæ professis sunt data, non autem ad obligationem aliquam futuram si convalescant, non enim tunc sic professæ, obligantur ad vota vel Regulam, sed si Religioni incorporari velint, debent reliquum tempus probationis absolvere, & professionem denuo emittere, unde sequitur si novitia sic professa, ante annum completum moriatur, Monasterium (alias



lias capax) non succedere in bonis, nihil enim operatur ista professio, in externo aut conscientiae foro, sed tantum ad animae consolationē in bulla expressam ordinatur.

2. Requiritur pro professione valida annus continuus & non interpolatus. Interpolatio vero est duplex, alia necessitatis, aut superveniens à casu, ut cum novitius tempore probationis in infirmitatem gravem incidit, qua pluribus mensibus decumbit, item violenter à Monasterio ab hostibus extrahitur & aliquo tempore detinetur, sicut etiam si à superiore probationis gratia emittatur, talis interpolatio non censetur per se, anni Novitiatus probationem discontinuare. Alia est mere voluntatis & nostrae dispositionis, ut si superior accipiat novitium in socium & ad ejus notos vel cognatos excurrat, vel ipsum emittat ad opera aliqua minus necessaria, quamvis utilia, talis si notabili aliquo tempore absit, vel saepius brevis absentia repetatur, non facit annum continuum probationis, sed teneretur illum resumere, alias invalide proficetur, nisi ratio facti aut bre-



vitas temporis in moralibus exculet, in omnibus vero casibus etiam necessitatis inevitabilis, si prudentum iudicio non videatur Novitius sufficienter probatus, potest differri professio, & probatio extendi ad aliquot menses.

## Articulus Secundus.

### *De Novitiorum professione.*

I. **P**rofessio Religiosa sic describi potest: quod sit traditio voluntaria sui ipsius à persona idonea & capace, Deo & Religioni approbatæ facta, per emissionem trium votorum essentialium, secundum Regulam approbatam, à legitimis superioribus nomine Religionis & Ecclesiæ acceptata. Dicitur (*Traditio sui ipsius*) per hoc distinguitur à voto simplici quod consistit in sola promissione, cum intentione se obligandi, Deo facta: votum vero solemne, in executiva sui traditione, ad promissorum adimpletionem. Dicitur (*voluntaria*) nam omnis professio metu gravi etiam reverentiali, injuste incusso facta, nulla est. Dicitur (*sui ipsius*) tradit enim



in  
sin  
lea-  
teft  
ad  
  
po-  
fui  
o &  
fio-  
un-  
lu-  
fia  
us)  
nod  
en-  
ero  
ad  
tur  
atu  
fa-  
e-  
m

nim qui profitetur se ipsum, & velut à se, se ipsum abdicat, & in alium transfert. Dicitur (*religioni approbata facta*) nam professio in quacunque congregatione non approbata facta, non est professio Religiosa, sed ad simplicia vota reduci debet.

2. Sex vero præcipua reperiuntur impedimenta professionem dirimentia, si ante ejus emissionem in profitente fuisse reperiuntur. 1. Defectus ætatis, professio enim ante decimum sextum annum completum, ex Concil. Trident. est nulla & invalida. 2. Defectus veri consensus & libertatis. 3. Conditio servi aut mancipij: talis enim absque domini manumissione, sicut Religioni se obligare non potest, sic nec à Religione recipi, & consequenter nec valide profiteri. 4. Matrimonium consummatum: etsi enim professio Matrimonium ratum annullat, non tamen si consummatum est, quia qui consummat actu matrimoniû, jam actu possessionem suæ sponsæ, & ipsa sponsi accepit. 5. Obligatio ad ratiocinia publica, sive debitum ingentis æris alieni, pro ut in decreto Sixti V. quod incipit:



Cum de omnibus: dato Romæ An. 1587. continetur, ubi & criminosi, & ex incestuoso vel sacrilego concubitu illegitimi, ad Religionem inhabiles declarantur, & eorum professio irrita decernitur. 6. Est morbus contagiosus, ut lepra, morbus gallicus, morbus etiam caducus, idque in Religionibus ubi desuper à Pontificibus statutum concessum.

3. Varia etiam juxta cujuslibet Religionis leges, statuuntur impedimenta, quæ quamvis professionem non cassent aut dirimant, non tamen sine culpa & penis recipientibus ac receptis impositis, professio ab illis, qui talibus præpediuntur, emittitur, quadruplicis autem generis reperiuntur.

1. A Natalibus: ut si recipiendi ex libidinoso, adulterino, incestuoso, aut alias illegitimo thoro nati sint, quorum receptionem religiones passim repudiant, quia qui ex hujusmodi thoro nati sunt, aliquam secum maculam portant.

2. Ratione infecti generis à professione repellendi sunt: qui à Mauris, Judæis, Hæreticis proxime descendunt. Similiter qui

à pa-



7. à parentibus criminosis, publice infamatis, infamia facti vel juris, imo communis suspicionis, progeniti sunt. Item qui à vilibus personis, ut tortoribus & hujusmodi prodierunt.

3. Nonnulli ob excessum nimium ætatis etiam à Religione vetantur recipi, quia etsi essentialia servare possint, in omnibus tamen alijs ratione ætatis dispensandi forent.

4. Possent tamen tanta ædificatio ex alicujus personæ receptione nasci, ut defectum & onus, quod ex tali receptione obveniret, omnino compensaret, & sic in simili casu posset dispensari.

4. A complexione sive corporis constitutione: ut si novitius sit infirmus, claudus, Monoculus, Gibbosus, aut deformitate notabili affectus. Notandum verò quod recipientes hujusmodi impedimentis laborantes peccent mortaliter, quia religionem injuste gravant, & illam opprobrijs hominum exponunt, novitij vero qui ante professionem hujusmodi impedimenta occultaverunt, possunt interdum à Religione cui sunt mentiti expelli.



## TITVLVS TERTIVS.

*De Superioribus ac praelatis Religiosorum.*

## Articulus Primus.

*Qui & quales fuerint superiores Religionum à Principio.*

I. **Q**Uo ad jurisdictionem spiritualement Regiminis animarum, omnes Religiosi à principio non habuerunt alios superiores quam Episcopos, vel eorum delegatione presbyteros, quibus in omnibus subiciebantur, etiam quo ad Regulares observantias, & in quorum manibus professionem emittebant. Præter Episcopos vero vel Sacerdotes, Monachorum Regimini in spiritualibus præfectos, semper Religiosi habuerunt immediatos superiores ex Religiosis assumptos, qui in eos potestatem gubernativam & paternam, sive domesticam exercebant, & observantijs Regularibus invigilabant. Successu autem temporis, Monachis ad Clericatum & Ordines



dines sacros assumptis, superiores Religiosi, ex Ordinibus sacris ac sacerdotio assumpti, utramq; potestatem tam gubernativam quam pastoraalem, jurisdictionis spiritualis obtinuerunt, & in solos monachos regimen translatum est, sub Episcoporum tamen cura & jurisdictione.

2. Potestas Episcoporum in Religiosos ante omnem exemptionem, à jure divino & Ecclesiastico proveniens, extenditur ad omnia, ad quæ Religiosi ex vi status vel Regulæ obligantur, ut omnia debito ordine & modo, & juxta disciplinæ Religiosæ Regulas, observentur. Quia Episcopo ex ratione officij sui competit, potestas & jurisdictione, quæ est necessaria ad totius sui gregis salutem, sed potestas coactiva & directiva in ijs quæ sunt Status & Regulæ, est necessaria in Regimine Religiosorum, qui (seclusa exemptione) sunt de grege ejus, ad salutem illorum, ergo illa competit Episcopo ex vi status & officij sui.

3. Episcoporum vero potestas moderna in Regulares non exemptos, consistit in visitationibus, correctionib<sup>9</sup>, exhortationibus,

nibus,



nibus, & in omni ordinata providentia, ut observantia regularis in omnibus servetur, ut exprimit Conc. Trident. sess. 25. c. 1. de Regularibus ut omnes regulares tam viri quam mulieres, ad regulam, quam professi sunt, prescriptum, vitam instituant, atque imprimis quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respective essentiam nec non ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. Quæ cura non solis superioribus regularibus, sed maxime Episcopis respectu non exemptorum demandatur, ut constat ex Cap. 22. ubi subdit: *Et quia S. Synodus desiderat ut omnia & singula supradicta quamprimum executioni demandentur: præcipit omnibus Episcopis in Monasterijs sibi subjectis, & in omnibus alijs ipsis in superioribus Decretis specialiter commissis, atq; omnibus Abbatibus, & generalibus, & alijs superioribus Ordinum supradictorum, ut statim prædicta exequantur, & si quid executionis*



cutioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam, Concilia Provincialia, suppleant & coerceant. Porro nihil hic specificatur de exemptionibus quia de ijs sufficienter actum in Baculo Pastoralis Reverend. Patris Marfchantij.

## Articulus Secundus.

*Quotuplices sint superiores & quam potestatem vi officij habeant.*

I. **S**uperiores Religionum juxta triplicem respectum, triplices assignantur, alij enim sunt Generales, qui uni Ordini generaliter præfunt; alij provinciales, qui uni Provinciæ sive pluribus Monasterijs, velut in Diæcesim coactis: alij conventuales sive locales, qui uni tantum conventui Monasterio vel loco immediate præficiuntur. Et hi quidem omnes diversa nomina, juxta diversas Religiones sortiuntur: alij enim Præpositi: alij Magistri: alij Ministri: alij Correctores: alij Custodes: Guardiani: Priores: Rectores nuncupantur: quibus omnibus præsidet Papa, tanquam Ordinum omnium Generalissimus.

2. Ge-



2. Generales Ordinum & Provinciales, potestatem jurisdictionis Spiritualis in Religiosos obtinent, similem Episcopis. Generales quidem, ad instar Patriarcharum sive Metropolitanorum. Provinciales autem ad instar Episcoporum simpliciter. Quia eo ipso quo exemptis Ordinibus præficiuntur, totum regimen quod incumberebat Episcopis, in illos relabitur, ac consequenter potestas jurisdictionis, jure Divino huic regimini correspondens, & vigore hujus jurisdictionis, proportionaliter potest. Generalis & Provincialis in Ordine suo respectu regularium sibi subditorum, quidquid potest Episcopus in sua Diæcesi, nisi eorum potestas à summo Pontifice sit restricta.

3. Prælati Locales sive Conventuales, ex vi officij potestatem jurisdictionis sortiuntur, quæ necessaria est gregi ad spirituale ac temporale Regimen, patet ex natura Officij, etsi enim veri prælati sint, & ordinariam potestatem in subditos habeant, non tamen excedunt potestatem Archipresbyterorum, sed sicut Minora  
 Archi-



Archipresbyteris conceduntur, Episcopis autem majora reservantur, sic & prælatis localibus, qui & minores prælati ad distinctionem nuncupantur. Porro Consulendæ sunt leges & constitutiones cujuslibet Religionis in particulari, ut de eorum potestate singulariter constet.

### Articulus Tertius.

#### *De Obligationibus Prælatorum.*

1. **O**bligatur quilibet Prælatus, per se vel per idoneos substitutos, instruere & curare instrui suos subditos, in necessarijs ad salutem. Nimirum: in fidei & legis Christianæ, tam Divinæ quam Ecclesiasticæ præceptis: in votorum essentialium necessaria notitia, in observantiarum Regularium, juxta suos gradus, disciplina.

2. Obligatur: ut provideat per se vel per alios idoneos, de sacrorum & sacramentorum congrua & legitima administratione, utque subditi debita dispositione, & opportuno tempore illa recipiant. Unde si aliqui ante ingressum Religionis, confirmationis sacramento forte insigniti  
non

non



non sint, tenetur superior id sciens, providere ut ab Episcopo confirmentur.

3. Tenetur superior providere de confessorijs doctis & idoneis, qui iudices Doctores, Consiliarij, & Medici pœnitentibus esse possint, eo magis, quod in statu Religionis plura consilia, ad conscientiarum & exercitiorum directionem requirantur, ob majores sathanæ dolos & verfutias, quibus tendentes ad perfectionem impugnat.

4. Tenetur superior assignare opportuna tempora, tam pro confessione, quam pro sacra cõmunionem, aut missæ sacrificio.

5. Providere debent superiores de tempore orationis, maxime internæ & ejus directione, sine qua Status Religionis vix conservari potest.

6. Obligatur superior providere ut officia divina congrue celebrentur, Ceremoniæ sacræ ferventur & explicentur.

7. Obligantur ex vi officij providere superiores, ut de victu, vestitu, medicinis, & necessitatibus hujus vitæ, frugaliter sit subditis provisum, nec spiritualia subsidia

anima-



animabus denegare possunt, quod docet S. Bern. *serm. 23. super Cantica: Audiant hac Prelati qui sibi commissis semper volunt esse formidini utilitati raro, erudimini qui iudicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos, studete magis amari quam metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica: matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant.*

8. Obligatur ut regat prudenti vigilantia, ut præsens videat, qualiter communis disciplina in Conventu servetur, in officijs divinis, exercitijs spiritualibus, operibus communitatis, in Ecclesia, in Dormitorijs, in refectorio, in Officinis, quas debet frequenter visitare, & opportune de ijs, quæ in illius absentia fiunt, inquirere.

9. Debet advertere ad singulos subditos, qualiter se habeant in exercitijs privatis, orationis, virtutum, studiorum, lectionis, ut nimirum otium pulvinar diaboli tollat, unde sæpius visitandæ sunt cellæ & super privatis conversationibus & adhærentijs



rijs inquirendum, vigilantia autem debet esse opportuna, ut scilicet non semper importune instet, sed interdum dissimulet, det tempus & locum libertati spiritus, ut non videatur exactor & satelles. Demum sit quieta, sine tumultu aut vexatione.

## Articulus Quartus.

### *De peccatis Prælatorum.*

1. **P**eccant mortaliter superiores qui externo regimini intenti, de instructione suorum in rebus ad salutem necessarijs non sunt solliciti, & vix unquam de rebus salutis cum illis loquuntur, & si capitula celebrant, in illis de temporalibus agitur, aut ut plurimum sermones illorum investivi sunt.

2. Peccant mortaliter & omnia peccata in eos relabuntur, qui ignaros superiores, scienter eligunt, instituunt, vel confirmant.

3. Peccant mortaliter qui cum per se ipsos non possint aut nolint, non curant per alios, subditos instrui in necessarijs.

4. Gravissime peccant superiores, qui  
ne



ne subditi ad Reformationes & arctiores Observantias aspirent, eos sub titulo humilitatis, à studio & lectura librorum, de statu suo tractantium arcent, aut illos alijs distrahunt.

5. Peccant mortaliter superiores, qui confessarios Idiotas, imprudentes, & vere indignos, in suis conventibus instituunt, inde enim plurima in subditos nascuntur mala, & conscientiarum ac animorum inquietudines.

6. Peccant mortaliter, qui subditos ad sibi confitendum, extra rationem casuum reservatorum cogunt, & qui notitia ex confessionibus sacramentalibus, sive ante sive in superioratu habita, utuntur in externo regimine, hinc optime sibi consulant superiores, si sint faciles & non rigerosi, in danda licentia pro absolutione à casibus reservatis.

7. In statu damnationis vivunt, qui ex sua negligentia aut avaritia, subditis non provident de victu, amictu, & necessarijs sufficientibus, ad honestam & Religiosam vitam, sunt enim causa multarum proprietatum,

tatum,



tatum, & quod sibi quisque quærat, illegitimis etiam medijs foris, quod non potest habere in monasterio.

8. Peccant qui subditis infirmis non compatiuntur, & de personis idoneis, ut infirmorum curam habeant, & necessaria obsequia impendant, non disponunt; minus pharmaca aut cibos congruos illis ministrari procurant, & qui infirmis duri & improperiosi sunt, sub prætextu quod morbum simulent, quibus sufficiat illa terribilis sententia Matth. 25. *infirmus fui & non me visitastis*, (consolatione scilicet subsidio, & adiutorio necessario) *ite maledicti in ignem æternum.*

9. Peccant mortaliter superiores, qui spiritualiter afflictos contemnunt, illis rigidos se ostendunt, ut sæpe vel in desperationem abeant, vel in tantam animi desolationem, ut si pejora eis non eveniant, mærore tabescant.

10. Peccant etiam secundum circumstantias mortaliter, qui Apostatas permittant vagari impune, quia eorum inquietudines ferre nolunt.

II. Qui



II. Qui Apostatas redeuntē abjiciunt, aut dure recipiunt, in p̄anis excedunt, nullum spirituale solatium impertiunt, & se implacabiles reddunt.

12. Peccant qui nunquam vel raro communibus exercitijs adsunt, & si præsentes sint, perfunctorie assistunt, nunquam vel raro officinas visitant, nunquam de suorum subditorum conversatione inquirunt, & qui tanquam suspiciosi prave omnia interpretantes, delatores & adulatores fovent, & vigilantiam in hoc consistere credunt, si omnia suspecta habeant, & hæc est peccatorum multorum parens, & Religionum perturbatrix.

13. Peccant mortaliter, si peccata gravia subditorum, sibi privata notitia cognita publicent, est enim vere subditum infamare.

14. Peccant qui scientia sua occulta & de occultis abutentes, ad inquisitiones illegitimas progrediuntur, & occasionem quærunt ut peccata illa publice arguere possint.

N

TITV.



TITVLVS QVARTVS.  
*De Regimine Monialium et  
 earum Clausura.*

Articulus Primus,

*De potestate Abbatisse in suas subditas.*

I. **A**bbatissa sive præfecta Monialium, nec veræ Prælaturæ, nec veræ jurisdictionis Spiritualis, est capax. Quia fæmina est tonsuræ Clericalis (quæ est fundamentum potestatis cujuscunque vere spiritualis) incapax, nec obstat concessio, qua conceditur Abbatisis, jus conferendi beneficia, & Clericos ad illa instituendi, suspendendi à Beneficio, & à missarum celebratione, hæc enim potestas est mere executorialis & Ministerialis, nullam in Abbatisa exequente jurisdictionem spirituales requirens: collatio enim beneficii nihil est aliud, quam nuda electio & denominatio personæ, facta ab Abbatisa, ad quam Episcopus censetur per jurisdictionem spirituales in se residentem, beneficii conferre, & ita cū proportionem de alijs.

2. Po-



2. Potestas Abbatisse sive præfectæ in Moniales subditas, est tantum dominativa, similis domesticæ & gubernativæ, quam habet materfamilias in soboles, aut cum Capitulo suo similis politicæ, quam habet magistratus in cives. Quia majoris potestatis non est capax, & alias, sicut hæc ad regimen status Religiosi est omnino necessaria, sic etiam in fæmina sufficiens est: quam potestatem habuerunt, qui intra statum laicalem, antiquitus Monasterijs præfecti fuerunt. Hæc vero potestas his vere terminis continetur: ut Abbatisse sive præfecta Monialium, præcipere & corrigere possit subditas, in omnibus quæ pertinent ad domesticam gubernationem, & communem conventus pacem, ita ut disciplina Regularis absque scandalis observetur.

3. Supposita Regulæ & Status sive ordinis Approbatione per Ecclesiam, potestas Dominativa in Abbatisse sive præfectis consurgit, ex professione Regulæ, seu voto obedientiæ, quia approbato ordine, censentur approbari Rectores & Rectrices, secundum Ordinis illius morem insti-



tutæ: & consequenter qui obedientiam secundum Regulam vovet, censetur illam vovere omnibus, qui ex præscripto Regulæ hujusmodi mandare possunt: ita ut potestas illa consurgere censeatur, tum ex institutione sive electione personæ secundum Regulam approbatam, tum ex voto obedientiæ ac professione personæ, quæ se hujusmodi Regimini subjecit.

4. Receptio ad professionem, quatenus est auctoritativa acceptatio personæ ad Religionem, non potest competere mulieri, & consequenter nec Abbatissæ aut Monialium præfectæ. Quia est vere actus spiritualis jurisdictionis, pertinens ad potestatem Clavium.

5. Actus quo Abbatissa sive præfecta Monialium recipit vota & professionem Novitiarum, est actus mere Ministerialis, & externa quædam declaratio, qua testificatur publice Novitiam, juxta voluntariam professionem acceptari nomine Ecclesiæ, & legitimorum prælatorum, in eaque omnes conditiones ab Ecclesia requisitas, esse adimpletas. Quia in illo casu censenda est



est Abbatissa procuratrix, & Prælatorum legitimorum Ministra, quorum nomine actu publico, professionem acceptatam declarat. Unde communiter vel Prælatus vel Sacerdos nomine Prælatorum adest, qui professioni assistat.

6. Nulla Abbatissa aut Monialium præfecta potest aliquod præceptum vere spirituale suis monialibus imponere. Quia ejus potestas Dominativa quam in Moniales habet, pure temporalis est, domestica scilicet & civilis.

7. Præcepta vero præfectarum Monialium possunt interdum obligare ad peccatum mortale. Quia potestas illarum est omnino similis potestati Domesticæ matrumfamilias, & potestati Civili Magistratum: Sed præcepta Matrumfamilias, possunt interdum obligare filios ad peccatum mortale; ergo & præcepta præfectarum Monialium.

8. Abbatissa sive præfecta Monialium, non habet ex vi officij auctoritatem dispensandi cum aliqua Moniali, in Regulæ præceptis, jejunijs, legibus Ecclesiasticis,



quia dispensare est actus prælaturæ & baculi Pastoralis; fæmina vero nec vere prælaturæ nec baculi pastoralis est capax.

9. Abbatissa potest irritare vota suarum Monialium, quæ sine licentia ejus aut superioris sunt emissa: quia in hoc non est Minoris potestatis, quam materfamilias, quæ impuberum vota irritat.

10. Abbatissa ex vi officij habet liberam administrationem bonorum Monasterij, si aliqua lege vel præcepto legitimo non arctetur. Quia est vere superior, cui omnis superioritatis auctoritas competit, quæ officio congruit, & fæmineo sexui non repugnat.

11. Potestas vero Abbatissæ in bonorum temporalium administratione, non est ita libera & independens, quin teneatur clarum reddere computum, & rationem administrationis, superioribus prælatis, sive visitoribus, ubi fuerit legitime requisita.

Articu-



## Articulus Secundus.

*De Clausura Monialium.*

1. **Q**uod turpe semper in omni gente  
 aestimatum sit mulieres extra do-  
 mum vagari, aut frequentius exire, non  
 tantum Judæus, Græcus, aut Romanus,  
 sed & Barbarus probat, solo lumine natu-  
 rali illustris; honestatis vero muliebris de-  
 cus, Clausura & domus custodia semper  
 fuit, quare temerarium & Hæresi proxi-  
 mum est, libertatem egrediendi, extra  
 claustra, sacræ monialium clausuræ ante-  
 ponere, aut sub titulo carceris perpetui, à  
 sacra Clausura virgines deterrere.

2. Est modo in Ecclesia præceptum de  
 clausura perfecta, ab omnibus Monialibus  
 observanda: prob. ex cap. periculoso de sta-  
 tu Regul. in 6. ubi Bonifac. VIII. Periculoso  
 (inquit) & delectabili quarundam Monia-  
 lium statui providere cupientes, presenti,  
 constitutione perpetuo valitura sancimus:  
 universas & singulas moniales presentes atq;  
 futuras, cujuscunq; Religionis sint, sub per-  
 pertua in suis Monasterijs debere manere



*clausura: ita quod nulli earum sit vel esse valeat, quacunq; ratione vel causa, Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nulliq; nec etiam honesta persona ad eas ingressus pateat.*

3. Pontifex potest Monialibus imponere præceptum de observanda clausura perpetua, easque obligare in conscientia & compellere ad illam servandam: quia summi Pontifices plures id fecerunt, approbante tota Ecclesia in Spiritu Sancto congregata: ergo id facere potuerunt. In hac enim materia argumentum à facto ad posse concludit. Notandum vero Papam posse dupliciter præcipere observantiam Clausuræ. 1. Sub ratione simplicis præcepti absque ulla emissionem voti, ita ut non observantes, peccent quidem contra præceptum superioris, non tamen contra votum. 2. Sub ratione voti ita ut præcipiat Monialibus, non tantum servare clausuram perpetuam, sed etiam obliget illas ad votum emittendum. Rursus præceptum illud quo mandat Pontifex Clausuram voveri. Dupliciter fieri potest, nimirum:

rum:



rum: positive & absolute, compellendo scilicet ut votum explicite emittant: & negative: annullando omnes professiones quæ absque tali voto explicito fient à Monialibus.

5. Episcopi etiam habent ordinariam ac illimitatam potestatem, introducendi & conservandi Clausuram, in omnibus Monasterijs Monialium non exemptis. Patet ex verbis Concilij, quibus præcipit Episcopis, sub interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus Monasterijs Clausuram sancti monialium, ubi violata fuerit, diligenter restituant, ubi inviolata eam conservent. Habent etiam potestatem Ordinariam in moniales non exemptas, ut earum personas ad Clausuram compellant, quia Clausura monasteriorum, non indicitur nisi ratione personarum: unde qualem potestatem habet Episcopus ad Monasterij Clausuram, eandem censetur & majorem habere, in personas quæ Clausuram servare debent. Dicitur (*majorem*) quia etsi Episcopus interdum Clausuram perfectam murorum, crates, &



270 *Tract. Secundus, De Statu Religioso.*  
alia hujusmodi ad Clausuram pertinentia,  
ob aliquas rationes exequi non possit: po-  
test tamen omnino præcipere, etiam cen-  
suris adhibitis, ne Moniales domum ex-  
cant, nec ad certa loca sæculares admittant.

6. Episcopi insuper omnimodam po-  
testatem habent, quamvis delegatam, pro-  
curandi Clausuram in quibuslibet Mona-  
sterijs exemptis Monialium. Patet ex eo-  
dem contextu Tridentini supra, procura-  
tionem vero illam in Episcopis respectu  
Monialium exemptarum, quæ superiores  
Regulares habent, intelligunt Doctores  
in Casibus, in quibus superiores moniti  
deficerent, vel de violata, aut non debite  
custodita Clausura, quæ remoniæ deferre-  
rentur: alias censent Episcopum non pos-  
se se immiscere. Quia delegata potestas,  
est tantum suppletiva ordinariæ in casu de-  
fectus. Positò igitur quod Clausura inte-  
merata servetur, & de ipsius abusu non  
sint quærimoniæ: præceptum datum Epi-  
scopis, cessare censendum est.

TRA